

DOMNI LUCAE DACHERII

MONITUM

IN SUAM HISTORIAE VIZELIACENSIS MONASTERII EDITIONEM.

(Spicil. in-fol. t. II, 498.)

Quadriennium jam effluxit quo refugiebat animus Historiam Vizeliacensis monasterii amplissimis hiatibus sedatum in publicum proferre: spes enim erat illius integræ aliquando e ruderibus, antrisve monasteriorum, ibi fortean adhuc in pulvere et situ cum tineis deluctatur, eruenda: verum crebris amicorum hortationibus interpellatus, suasionibus impulsus, ne a me repulsam patenter, cessi tandem eorum rotis (viri enim sunt inter litteratos eruditione juxta ac pietate præcipui) atque historiam quamvis lacunis dehiscentem, vetustis tamen nobilitatam monumentis, docteque ac eleganter conscriptam, nolui diutius tenebris obvolvi, imo luci, utpote utilitate litteraria profuturam libens exposui.

Historiam placuit auctori Hugoni Pictavino quadripertitam proponere. In priori parte conditorum tabulas, Romanæ urbis litteras, diplomata regum, atque alia id genus rescripta, tanquam eorum quæ erat in medium producturus fundamenta subjecit. Depingit in altera episcopum Eduensem qua fas qua nefas libertates Ecclesiæ Vizeliacensis infringere, ac jura soli Romano pontifici competitia usurpare conantem. In tertia demum et quarta luctuosas prodit traegidas a comitibus Nivernensium peractas, qui incursionibus ac direptione per se, perque suos non semel in monasterium Vizeliacense, universumque ejus dominium, ut illud dictio[n]i sua adjungent, grassati sunt, barbarorum more monachos expulerunt, oppidanos a legibus et subjectione abbatis eorum domini aperta vi subtraxerunt. Auctor ipse nihilominus victorias ab abbate et monachis, non tamén sine ingenti labore ac dispendio rei familiaris, tum de episcopo, tum etiam de Nivernensibus, afflante divino Spiritu, pontificibus Romaniis juvantibus, favente in primis rege Ludovico septimo, reportatas describere non omittit. Interserit etiam insigniora sui temporis, quæ civilem ecclesiasticamque historiam admodum illustrant.

HISTORIA VIZELIACENSIS MONASTERII

AUCTORE HUGONE PICTAVINO

Notario Guillelmi abbatis Vizeliacensis, qui eam jussu Pontii abbatis scribere aggressus est anno 1156, et sub ipso Guillelmo absolvit anno 1167.

LIBER PRIMUS.

PRIVILEGIA ET CHARTÆ VIZELIACENSIS CŒNOBII.

In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis, Patris **A** iesia sanctorum sibi invicem sunt successuri. Ego et Filii et Spiritus sancti, incipit instrumentum seu testamentum Geraldii comitis, fundatoris monasteriorum, videlicet Pultariensis et Vizeliacensis, subsequentibus privilegiis apostolicæ et regalis auctoritatibus, ipsum testamentum confirmantibus et corroborantibus in perpetuum.

Testamentum Gerardi comitis. Omnibus Christi fidelibus, pietate, amore, desiderioque ferventi beatam vitam expectantibus, et in unitate Christianitatis sub obedientia præceptorum Dei ubique manentibus, sive his qui præsentes sunt, sive his qui futuri, atque in compage et vinculo charitatis viventibus, et usque ad consummationem sæculi in Ec-

Gerardus divinæ pietatis munere apud gloriosam regalem mansuetudinem comitis honore sublimatus, ex communī voto et desiderio dilectissimæ conjugis meæ atque amantissimæ Bertæ, eo quod nobis pariter unanimiterque, Domino inspirante, complacuerit, ut de rebus nostris et possessionum nostrarum titulis perennem memoriam Domino Deo nostro, ubi laus ejus assidue fieret, statueremus. Et quoniam largitionibus piis dominorum et seniorum nostrorum, qui nos liberalissime honoribus et dignitatibus ampliaverunt, id est, imperator et senior noster clementissimus Ludovicus, et gloria domina et regina Judith, filiusque ipsorum æque se-